

M I M

1 6 4 8





~~C. 6. 5~~  
Ll, 2, 3.

30 B 10.

In usum Pedagogii  
Regii Glauchensi



ANADEMATA NUPTIALIA

Honori perennivivo

VIRI

*Claritudinis, exquisitoris doctrinae &  
Integritatis Laude Conspicui DN.*

SEBASTIANI

Kriegers / Gymnasij Svevo-Colon:

ConRectoris solertissimi,

SPONSI:

&

*Virginis Pietate & Pudicitia optime dotatae*

SOPHIAE ELISABETHAE,

Viri quondam Integerrimi

JOACHIMI Klingebells / Negotiatoris

& Civ: Colon. relictae filiae.

*Jam vero VIRI Prudentissimi & Spectatissimi*

Dn. WILHELMI von Gerresheim / Camera-

rij Curiae Svevo-Colon. & Civis Primarij

Privignae, SPONSAE,

*Ab Amicis, Factoribus, Collegis & Discipulis fausti*

*Omnino ergo contexta & ad lectum ge-*

*nialtem suspensa*

BEROLINI, TTPIS RUNGIANIS. An: 1638. 50





Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is faint and difficult to decipher but appears to be organized into several lines or paragraphs. Some legible fragments include "SOPHIAE", "JOACHIMI", and "BEROLINIENSIS".



Hinc e

Huic b

Sed n

Auri

Edul

Cres

Hoc

Cun

Pulpi





**M**ilite quæq; ruunt! pietas jus, candor, honestas,  
urbes, Tempa, Schola milite quæq; ruunt.  
Quisq; optat pacem: En BELLATOR nomine, sed re  
pacis amans, fugiens praelia, bella novat.  
Nam faculâ ac jaculo pharetrata Proles adustus  
Cypridos, efflicti in carpitur igne novo.

Hinc ex Oenophoro flammâs extinguere tentans,  
cellamq; invadens repperit OENOPHORAM.

Huic bellum bellæ ut Sponsæ, cultaq; Puella  
infert, & Veneris praelia casta ciet.

Sed non truncantur colla, hoc nec brachia bello;  
jacturam nec crus, nec caput inde capit.

Auricula non sciuntur, palmæ haut mutilantur;  
Mollia nec duro verberare labra tument.

Educant bellum hoc hilarata sidera frontis,  
mellea lingua, oris suavia, cordis amor.

Crescit in hoc bello pietas, jus, candor, honestas  
sub pace, & crescunt oppida, Tempa Schola.

Hoc thalamum Gnatis foecundat; iurgia sedat,  
Laxat corda: per hoc cuncta secunda fluunt.

Cuncta secunda fluant Neonympis! una voluntas,  
mens sit et una precor: cuncta secunda fluant.

Pulpita pace beet Templiq; Scholæque, Monarcha  
Pacis, moesta Fori pulpita pace beet!

τῆς συγχαρμοσύνης ἐνεκα  
deproperat

Johannes Wenschendorffius  
Svevo Colon ad D. Petri  
Ecclesiastes.

A 2

SEBA



SEBASTIANUS.

ἀναγεγραμμένος εἰς

AN SIS BEATUS?

**N**umquid beatis nunc Arabum invides  
Gazis, & acrem militiam paras,  
Nectens catenas (Nomen omen!) Krieger

Regibus, horribiliq; Marti,  
Doctus sagittas tendere sericas  
Arcu paterno? Quis neget, Hungaros  
Pronos ad arma, & bellicosos  
Militiæ studio teneri?

Mavortis, hinc tu noxia spicula  
Parum times; Non militia hæc tua est:  
Non Martis, ah Phœbæa castra  
Te tenuere, SEBASTIANE.

Sed jam coemptos, undiq; nobileis  
Libros videris Socraticam & domum  
Mutare lericis Amoris,  
Et Cypron Idaliam reverti.

Bellator heus! pugna modò strenuus,  
Et vince fortis; Nam tibi virginum  
Sponsò beato Sponsa præstò est  
Optima dulce tibi brabèum.

AN SIS BEATUS num dubitas? Ohe!  
Bellò negatò barbara ferviet  
Gens; èq; Pax cœlo capillis  
Ad cyathum statuetur unctis.

Ita fiat, ut voveat

ad Od. 19. l. 1. Horat.

ὁλοψύχως

M. Jacobus Helwigius, Eccle-  
sastes ad D. Petri Svevo-Colon.

Infor-



**I**nformare rudes pueros, formare novos;  
Sisyphius labor est; unius haud labor est.  
Hocce labore quidem Res-publica-privaq; crescit:  
sed meriti speras inde parum pretij.  
Cur igitur scholici suppressus mole laboris  
non vivis solus, docte SEBASTE, tibi?  
Vendicet an quia res sibi publica privataq; natum  
te, pretij licet hinc spes tibi nulla fiet?  
Sic est: Vive schola, labor ingratus Orbis est,  
coelicus expecta praemia grata tibi!  
Sic est: vive raro, labor est gratissimus illi,  
quam formare doces pignora grata tori.

M. Adamus Romanus, Rector Collegii  
& Amico suo chariss:

---

Syllogismus Nuptialis.

**Q**VI fugit illicitas flammis, & foedera lecti  
Ingreditur: Pietas est hujus grata Jehova:  
Tu fugis illicitas flammis, & foedera lecti.  
Sponse subis: ergo pietas tua grata Jehova,  
Fulcio majorem: DEUS annon Rector & Autor  
Connubij, casto quae pectora glutinat estu?  
Et sociam primos conjunxit lege Parentes?  
Conjugij sacri rata sint & firma per evum?  
Oderit & vetitas flammis, quas punit ab alto  
Aethere, nam castus castam vult mente vocari.  
Filius ipse DEI sponsalia foedera porrã.  
Ornavit: verbo vinum (mirabile dictu)  
Ex lymphã faciens visu gratumq; sapore.

A 3

Compro-



Comprobat hæc eadem Sanctus quoq; Spiritus; ille  
Incertos Veneris stimulosq; Cupidinis ictus  
Legitimis thalamis, castisq; cubilibus arcet.  
Sancta Trias thalamos defendit tota piorum.  
O socialis amor, divini fomes Amoris.  
Ipse probas positam pro tempore Sponse minorem,  
Fœdera qui thalami reverenter adire laboras,  
Et Patris atherei mandata verenda capeffis  
Devitans vetita scelerata Cupidinis arma  
Atq; tori sociam votis ardentibus optans.  
Ergo felicem te prædico Carmine Sponse  
Atq; tuo latus merito congrator honori.  
Subjungens votum nunquam mœrore fatiget  
Connubium vestrum mala fors, concorditer annos  
Vivite Nestoreos implete cubilianatis.  
Concludo, Pietas est Sponsi grata Jehova.

Non tam honoris, quàm antè hac inter  
nos familiaritatis Academica  
contractæ ergò apposuit.

Petrus Goldbeck / Camera Elect.  
Brandenburg: Advocatus.

---

**I**n novelle Sponse, quid jam gaudia  
Latus moraris plausibus?  
Verrant frementes millies suos eqvos  
Martem canentes milites,  
Hostiliumq; navium citissima  
Bis mille puppes advolent:

DEUS



Deus iudabit tandem, & in gratam togam,  
Lugubre mutabit sagum.  
Ecce ipse Mavors saevus & quondam fuit  
Emancipatus foemina,  
interq; signa vile militaria,  
Apparuit conopeum.  
Proinde cur tu tristis hinc diutius  
Velles morari gaudia?  
Id repostum Cæcubum ad festas dapes,  
Summo favente Numine,  
Tecum sub altâ Nuptiarum jam domo  
Bibamus omnes strenuè,  
Sonante mistum buccinis carmen lyrâ  
Quod auribus gratissimum.  
Capaciores affer huc puer scyphos,  
Atq; horna vina aut condita,  
Curam metumq; tristium plausu juvat  
Dulci & Lyxo solvere.  
Kriegere Sponse nomen omenq; obtinens  
Jam milites cum gloriâ  
Non ulla fata te retardent aspera,  
Easq; contra audentior,  
Ubiq; vincas plausibus, quò per brevi  
Temet Parentem predicent.

Ita

ad Od: 9. Hor: Epod:

novelli γαμέτῃ amici sui intimi

γαμήλια gratulatur.

M. Bernhardus Kohlschreiff/

Gymn. Berol. Con Rect.

SPON.





**S**PONSE, gemunt opera tanto sub pondere Phœbi  
Munifici, præsumplura ferre negat.  
Da veniam, contexta vetor dare ferta Camena  
Duplicis, & pectus pignus amoris habet:  
Pectus, quod curto vobis expectoro voto:  
SUPREMU S vestrum prosperet usq; torum!

M. Michaël Schirmer/P. L. C.  
& Gymnas. Berol. SubR.

**E**st orbitati, Sponse, datum satis  
Injuriosa: nescia conjugis  
Quid vita prodest? nã pudoris  
Irrita jura facit repentẽ.  
Sic vulgus infidum, socij tuis  
Auresq; claudunt consilijs, prece  
Rarò moventur: te jacentem,  
Auxilij viduum relinqvunt.  
Uxore gaudens, conjugij leges  
Fructus amœnos, haud metues tui  
Tecti ruinam: cum uxor unã  
Stetq; cadatq; dolens ovansq;  
Oblitus ergò sollicitudinis,  
Utare Christi munere jugiter:  
Actq; frustra te tot annos  
Pœniteat sine amore vitæ.  
Sic cuncta vobis prospera confluent:  
Fortuna prodet Sidonias opes:  
Sic pax amorq; arcto ligabunt  
Compede corda tori venusta:

Oter



O ter beatos, quos ita vivere  
Sancto coëgit fœdere castitas:  
Hæc Musa vobis vota reddens,  
Ut decet, & licuit precatur.

Amicâ manu & mente insigniter hono-  
rando Dn. Amico Collegæ

apposuit

Christophorus Eilertus, Selov: March:  
p. t. Svevo Coloniensis SubR:

**P**ervigili semper sectatus castra Minervæ  
auricoma studio, corrumpans artis honorem,  
ingenuæ haud corrumpendum, Clarissime Sponse.  
Aptus es & talem, qui duraturus in orbe  
dum pecori lupus, & nautis infensus Orion.  
Segnis enim plebes nil post sua fata relinquit  
egregii, perit ac ignotis mortibus. Ecce!  
Vespera nunc affulgescit, quæ castra petenda  
Idaliæ Veneris: sed terrificantibus armis  
sepositis, memor usque tui cognominis esto,  
non infaustus eris Bellator, nomen in omen  
ibit. Votum crepo his Hymenæis pectore grator,  
surgat ut è Thalamo citò non in gloria proles,  
excipiantque poli tandem vos suavia tempe.

Honoris ac amicitiae ergo  
adjecit

Georgius Milde, Luf.  
Sub-ConR. Berol:

B

Forti-



**F**ortior an sit amor? vel an ira potentior illo?  
Disceptant pueri, Sponse novelle, tui,  
Ira malum, quo non aliud veementius ullum.  
Afferit hic contra, quod negat, alter habet.  
Permovet hunc Seneca multa excellentia, ducens lib. 2. de Ira c. 36.  
Grande nefas tantum carpere velle virum.  
Is regerit: nonne est rerum experientia major?  
Non ratio gravitas non valet ulla viri.  
Si petis exemplum, cape Sponsi, ut vocibus ultro  
Reg. stet a nostris partibus ille vides.  
Haec tenus indomitum, dic, quid potuere furentes:  
Affectus, potuit quid labor, ira metus?  
Ast ubi verus, amor tetigit praecordia furtim,  
Vincitur, & victus jam dedit, ecce, manus.  
Cesset conflictus, peto, tecum miror amoris  
Mirimum opus, nullum quod sit habere modum.  
Qui potuit reliquis animum insultare superbis  
Hostibus, En mirum! victus amore ruit.  
Non est bellator quum sit superatus amore,  
Non bellatoris nomen & omen habet.  
Garrule quid blateras? res immoderata Cupido est,  
Regat, & endo malas jus habet ille feras.  
Non timidus modo tunc deposcit praelia cervus  
Mugitu insano tristia signa ferens,  
Sed quoque vulnifico tunc dentes exacuit sus  
Efferus, & toto spumeus ore fuit.  
Dira lues procul esto, feram qui vincere talem  
Est potis: a nobis temperet anne manus?  
Inferet hinc bellum cui clarus quae so Sebastus?  
Sponse, qua pugna causa & origo sua.

Felices

Felices

Et si pug

o

S

Mec

Quia

More

Salve



*Felices igitur pugnent Pater alme precamur,  
Ne illos incassum belligerasse ferant.  
Et si pugna tibi nec non victoria cordi,  
Fac Victorinus prodeat inde novus.*

*Veteris affectus & novæ adfinitatis ergo faciebat  
sed seriùs trans mittebat.*

Daniel à Ginde/B. M.

*Διάλογος*  
SPONSUS ECHO.

**S** Odes silvosis reboans in vallibus Echo  
dic mihi, num Sponsum me fore reris? E. Eris,  
Læta toro Conjuxne locabitur? E. Elisabetha.  
Elisabetha mihi num sociatur? E. Ita.  
Mecum quæ longum volet & bene vivere? E. Tecum,  
atq; suis operis invigilare? E. Lare.  
Quid cesso cupidam cupidis amplectier ulnis  
Sponsam, connubia hæc si tibi grata? E. Rata.  
More piò mentem mihi sic astringis? E. Amore.  
Junctane semper erunt pectora fida? E. Fidè.  
Salve his Sponsa oculis mage amata mihi, una voluptas,  
unaq; curarum dulce levamen? E. Amen.

*Amoris ergo scripsit suo Collegæ  
amicissimo*

Andreas Fischer/Gymn:  
Col. Bacc. Sup.

B ij

Kompt



<sup>1.</sup>  
**R**omt / ihr Musen lasset schallen /  
Einen süßen Freudenthon  
Unsere Breutgamb zu gefallen /  
Und ihm winden eine Kron /  
Nun / ihr Nymphen hoch von Sinnen  
Kompt / wir gehen jtz von hinnen.

<sup>2.</sup>  
Auff! uns ruffet Phæbus Kinder /  
Lylet / gehet jamer fort /  
Hymen schönster Dertzen binder /  
st se! Mercket auff den orth /  
Nächst am Keller im Gasthausz  
Gibt der Herr sein Tochter auß.

<sup>3.</sup>  
Was ist das der Herr Con-Rector,  
Solt er nicht der Bräutgamb seyn /  
Den newlich der Schaleck Amor,  
Sein Dertz hat genommen ein;  
Ihm die Jungfer thut für allen /  
Seinem Dertzen lieb gefallen.

<sup>4.</sup>  
Schawt wir wollen näher treten /  
Und ins Wirthshausz sprechen ein /  
Weil wir von ihm seyn gebeten /  
Werden wir auch Freunde seyn /  
Ja der Wirth ist vnser Sonne  
Unsers hertzen Frewd vnd Wonne.

<sup>5.</sup>  
O wie frölich! O wie lieblich /  
Finden wir hierzu gericht  
Wie so hertzlich / wie so Friedlich!  
Guter Freund gebt uns bericht

Wer



Wer wird machen heut Hochzeit/  
Wem ist diese Ehr bereit?

<sup>6.</sup>  
Bald Herr Krieger kam gegangen/  
Antwort; es wird kommen jetzt  
Ich erwart ihr mit verlangen  
Meines Hertzen zier sie ist  
Die Cupido hat gegeben  
Mir zum Leben in dem Leben.

<sup>7.</sup>  
Nun ihr Musen laßet schallen  
Einen süßen Freudenthon  
Unserr Krieger zu gefallen  
Setzt ihm auff die Ehren Kron  
Daß nach neunnden Mondenschein  
Er mag sehn ein Kriegerlein.

Erdmann Helwich der Cöllnischen  
Schulen Bacc: Infr: igni

**S**o leget nun hinweg/ Herr Krüger/ allerschmerzen/  
Der euch umbfangen hat/ auß der so langen Zeit  
Von Kindes beynen ohn gefährten Einsamkeit/  
Weil ihr hinfüro solt mit ewer liebsten scherzen.  
Der Nymphen edler hauff erfrewet sich von Herken/  
Vnd ruffet euch so zu; Vergesst ewer Leid/  
Wir warten allzumahl/ vnd kommen schon bereit  
Zuziehen ewerit Tanz mit schönen hellen Kerzen.  
O daß der Abend Tanz doch were schon volbracht?  
O daß doch käme bald die langgewünschte Nacht!

B iij. Damit



Damit Herr Breutgamb ihr zur Ruh euch köndet wenden/  
Vnd nach erlangten zweck/ wiewol nicht ohne schweiß/  
Durch Ewer Tugend macht/ vnd angewandten Fleiß/  
Mit dem verirrtten Schiff an sichern Hafen lenden.

Sic gratulabundus ponebat &  
quidem ex tempore.

Cassparus Seidelius, Misn: SS.  
Theol: Stud:

**N**on verè felix ac fortunatus habendus,  
Quem florente opibus Coniuge JOVA beat;  
Nec potis est verè vocitarier ille Beatus,  
Cui præstans formæ Nupta nitore venit.  
Nomen felicitis sed terq; quaterq; meretur,  
Cui datur à Domino virgo pudica; probæ  
Virginitatis enim splendor pietatis amorq;  
Sunt longè cunctis ante ferenda bonis.  
Præterea probitas insignis honestaq; vita  
Sunt longe cunctis ante ferenda bonis.  
Præterea probitas insignis honestaq; vita  
Candorem superant corporis atq; decus.  
Ent tibi jam talis, doctissime Sponse, petita  
Haud raris votis jungitur à superis!  
Jungitur à superis Prudens tibi Nympha, vigente  
Curatura simul sedulitate domum.  
Hanc igitur decet ut foveas, faveas & eidem,  
Sponse, tuos artus spiritus usq; reget.  
Exulet omnis Eris thalamis, & tristis Erinny  
Absit rixa nocens, mutuus adsit amor?

Vivi-



Vivite felices Jovæ superante favore,  
Vivite concordēs secula Methusalem;  
Quin etiam thalami, DEUS, Autor, Fautor, & Altor,  
Exornet vestrum prole frequente thorum.

*Dn. Sponso, Praeceptorī olim suo, omnibus  
officiis nullo non tempore colendo*

*Gratulābundus adjiciebam  
in alma Viadrina.*

*Casparus Blumius, junior, L. L. Stu-  
diosus, Colnā-Marchicus.*

**E**cce Thalia tuo, doctrina, Sponse, celebris,  
Gratatur thalamo prospera, fausta, bona!  
Ut tua felici cōeant connubia nexu,  
Et mage sit felix, opto precorq; thorus.  
Pacem, quam toto pepulit Mars impiger orbe,  
Afferat in thalamum Nympha pudica tuum.  
Rebus in afflictis tua sit Neo-Nymphe colenda,  
ELISABETHA proba hęc, certa medela, tuis.  
Mutua vos pietas tangat mens una Voluntas,  
Mutuus in gemino corde perennet amor;  
Prolificus thorus & sint vobis pignora multa,  
Gratatur thalamis hęcce Thalia tuis.

*Dn. Sponso Praeceptorī olim suo, examus sim hono-  
rando gratābundus adicinebam Franco-  
furti cis Viadrum.*

*Daniel Fabritius Wusterhusanus  
March: SS. Theol: Studiosus.*

Et



**E**T Qvisquam dubitet fieri socialia lecti  
 Fatis, quis votis pondus inesse neget!  
 Kriegere exemplo planum facis hocce probasq;  
 Dum recipis socij jura sacrata tori.  
 Non etenim censam dotis, sed dote puellam,  
 Virtutis Sponsam vis tibi præcipuam.  
 Hanc tibi cunctipotens concordia foedere jungit,  
 Sponse tuos, degas ut sine lite dies.  
 Latitiæ hanc jungit sociam, jungitq; doloris  
 Lenimen, lecti prolificamq; penum.  
 Thesaurum jungit verarum divitiarum  
 Nam virtute nitens foemina sola beat.  
 Consortem jungit vitæ sociamq; futuræ:  
 Namq; enixa feret pignora pulchra poli.  
 Obruit en tali Deus hunc permitis honore  
 Quem pietas, virtus, non mala lucra movent.

*In observantia Teuherov*

*In gratitudinis magisterov*

Præceptori suo amantissimo

f.

Johannes Danielis, Gotha-  
 nus Thuring.

Σὺν Θεῷ Μῦθος.

ANACREON NUPTIALIS.

**Q**uanam puellularum      Tam nobilis caterva  
 Tam delicata turba      A monte scandit iste?  
 Tam blandicella turba      Aut fallor aut Dearum

Celebri-



Celebrium Dearum,  
Quæis culta Cyrrha cordi,  
Cerno beatus ora.  
Sunt verò sunt Dearum  
Quæ cerno latus ora;  
Sunt verò sunt Camæna,  
Quæ fronde sub virente  
Hæc arborum sub umbrâ  
Ad rivuli liquorem  
Lassata corda pascunt.  
En ipse Phæbus almo  
Testudinis sonora  
Latus movet sonora  
Sonora fila plectro.  
Et ducit ambulantes,  
Et dirigit canentum  
Suaves sonos modosq;  
Quid cesso tam venusta?  
Quid cesso tam decora?  
Miscere me caterva?  
Adibo lusitantes  
Adibo concinentes,  
Et audiam canentes  
Et si volent Camæna  
Et si volet Grynaus  
Sanè lubens subibo  
Celebrior subibo  
Sortem, gravemq; penam  
Atæonis miselli,  
Sed ecce Dux cohortis  
Apollo Dux cohortis  
Tam splendida cohortis  
Poscit sibi canenti

A filiis favorem,  
Silentiumq; gratum.  
APOLLO.  
Neptune Rector unda  
O magne Rector unda  
Motos resunde fluctus,  
Et æquoris susurros,  
Salig; murmurillos,  
Tug; Æole æviternus  
Cui Pater Deorum  
Dedit tenere ventos  
Immane murmurantes,  
Et horridum frementes  
Munita circa claustra.  
Eja audias petentem,  
Eja audias precantem  
Justa audias precantem  
Frenesq; murmurantes,  
Frenes tumultuantes  
Ventos cavo sub antro  
Ne cæca vis furentum  
Ne dira vis frementum  
Exasperet nitorem  
Lucis sacra nitorem  
Ut candida Camæna  
Nata næa Camæna  
Belle queant sonare  
Sonos suaviores:  
Quæis nuptias politici  
Ornant SEBASTIANI:  
Quæis nuptias politæ  
Ornant ELISABETHÆ.

C

CLIO.



## CLIO.

Ad nuptias novellas;  
 Ad nuptias celebres;  
 Ad nuptias paratas  
 CRIEGERIO paratas;  
 Jam tendimus decora  
 Cultu novo decora.  
 Ut Conjuges novellos  
 Ornemus & beemus.  
 Donemus & beemus;  
 Celebriore dono,  
 Odâ suaviore.

## MELPOMENE.

Hoc & meret Maritus  
 Castusq; & eruditus;  
 Hoc & meret Marita  
 Et candida & pudica.

## THALIA.

O inclytus Cupido!  
 O nobilis Cupido!  
 Laudabilis Cupido!  
 Qui candidos politi  
 Sensus SEBASTIANI,  
 Docti SEBASTIANI,  
 Clari SEBASTIANI  
 Accendit, ustulatq;  
 Integriore flammâ  
 Felicioire flammâ;  
 Insomnis ut recuset  
 Solo cubare lecto:  
 Ut ambiat jugalis  
 Lectiq; federisq;  
 Haud abnuenda vincula.

## EUTERPE.

O inclytus Cupido!  
 O nobilis Cupido!  
 Laudabilis Cupido!  
 Qui candidos venusta  
 Sensus ELISABETHÆ  
 Formosa ELISABETHÆ  
 Pudica ELISABETHÆ  
 Accendit, ustulatq;  
 Integriore flammâ  
 Felicioire flammâ;  
 Insomnis ut recuset  
 Solo cubare lecto:

Ut non neget novellum  
 Lubens sequi Maritum:  
 Ut non neget subire  
 Sacrum thori jugalis

## THERPSICHORE.

O inclytum Maritum!  
 O nobilem Maritum!  
 Illum videt legentem,  
 Libros videt terentem  
 Libris videt vacantem  
 Splendore qui corusco  
 Splendore qui micante  
 Flammaq; cinctus almâ  
 Oberrat orbis oras  
 Latè diurna spectans  
 Diurna facta Titan;  
 Seu verticem decorum  
 Sonante promat unda;  
 Seu verticem decorum  
 Sonante condat undâ.

Quas



Quas horulas jocosas  
Dant cateri cachinnis:  
Quas cateri furenti  
Dant horulas Lycaei,  
Inutiliq; ludo,  
Scyphoq; fistulaq;  
Quas horulas tenellis  
Dant cateri puellis  
Sallacibus puellis  
Parum piis puellis.  
Has, inquit, novellus  
Novellus hic Maritus  
Nobisq; Apolliniq;  
Et artibus probatis  
Donat peritus horas.  
Illum WRIZENA pubes  
Nobis dicata pubes  
Audiverat docentem,  
Audiverat monentem.  
Illum Colonienfis  
Sed haftenus Lycaei  
Sat inclyti Lycaei  
Sedilia intuentur,  
Mirantur & docentem,  
Mirantur & monentem,  
Mirantur & regentem  
Auctoritate sancta  
Tenellulam juventam  
Nobis sacram juventam  
Nobis Patriq; nostro.  
O nobilem Maritum!  
O inclytum Maritum

ERATO.

O inclytam puellam!  
O nobilem puellam!  
Quam jungit in Maritam  
Docto SEBASTIANO  
Claro SEBASTIANO  
Sacer DEI Minister.  
Illam probata virtus  
Multis probata virtus  
Commendat, & celebrat.  
Et ceu nitens coerces  
Diana stellarum  
Victum polo nitorem.  
Sic eminet puella haec,  
Sic emicat puella haec  
Prae ceteris puellis  
Et castitate sancta  
Et sanctitate casta.  
Quid concinam colorem  
Amabilem colorem,  
Quo tingitur pudica  
Quo tingitur decora?  
Quid flammeos capillos?  
Quid flammeos ocellos?  
Versu canam strepenti?  
Aut quid labella bella  
Labella tincta melle?  
Aut quid genas venustas  
Aut quid genas decoras  
Suosq; vere pulchras?  
Cantabo tenuis oda?  
Collaudet has Maritus  
Pertrectet has Maritus



Delibet has maritus  
Delibet has & illas  
Alacriore dextrâ  
Alacriore lingvâ,  
Delibet usq; & usq;  
Donec Parens amoris  
Dulcis parens amoris  
Cypris parens amoris.  
Et advolans Cupido  
Monebit hunc & illam  
Flammâ novâ calentes  
Flammâ at piâ calentes.  
Tentare letiora  
Tentare dulciora.  
O nobilem puellam!  
O inclytam puellam:

**CALLIOPE.**

Ergo his novis Maritis  
His inclytis Maritis  
His tam pijs Maritis  
His tam probis Maritis.  
Precemur auspicata  
Precemur ominata,  
Qua jus sit apprecari.  
Qua jus sit ominari.  
Nostra DEU Scaterve.

**URANIA.**

Illis precabor alnum  
Magni Jovis favorem.  
Hic adsit usq; castis  
His adsit usq; sanctis  
Et rebus in malignis  
Et rebus in secundis,

Hic usq; præstet ambos  
Salvos, superstitesq;  
Et fata post benignus  
Ad pulchra regna cali  
Cæli pijs parati  
Traducat, ut beati  
Fruantur æviternâ  
Vitâq; gloriâq;.

**POLYHMNIA.**

Ego quid his Maritus  
His candidis Maritis  
His inclytis Maritis  
Precabor, ominabor?  
Sponso precor novello,  
Sponse precor novella  
A Numine æviterno  
Concordiam beatam  
Concordiam perennem,  
Et mutuum favorem,  
Prolemq; blandicellam  
Prolemq; copiosam.  
Hoc & sibi Maritus  
Precatur, ominatur:  
Hoc & sibi Marita  
Precatur, ominatur.

**AUTOR.**

Sic ô novelle Sponse!  
O inclyte! ô venuste!  
Præceptor ô amande!  
Præceptor ô colende  
Colende sempiternum!  
Sic nuptiis novellis  
Musa tuis favebant.

Sic ô

Sic ô nov  
O inclyt  
O flos p  
Sic nup  
Musa t  
Quaru

S

Sic  
Für

S

Wie

Wan



Sic o novella Sponsa!  
O inclita! o venusta!  
O flos puellularum!  
Sic nuptiis novellis  
Musa tuis favebant.  
Quarum preces

Quarum ominations  
Ratas volet JEHOVAH  
Favens suis JEHOVAH  
Qui numine aviterno  
Solum polumq; complet.

His pedibus

Festas Praeceptoris sui amantissimi t. adas con-  
decorare ut debuit, sic voluit

Adamus Polzius, Belic. Gymnas.  
Svevo-Col. p. t. Alumn.

SONNET.

An den Herrn Bräutigamb.

**W**ie rechte Krieger seyn / die sind für allen dingen /  
Wenn man sie commandiert, zu ziehen in den Streit /  
Ganz mühtig / feck und froh / Sie trösten sich der Beut.  
Sie trösten sich des Siegs: Sie heben an zuspringen  
Für grosser Herzens frewd / Sie heben an zu singen  
Zu Ehren ihrem Mars ein Krieges-Liedlein.  
Nun werther Bräutigamb / O meiner Musen Schein.  
O Krieger hochberümbt! Ihr / ihr sollt auch jetz ringen  
Im Streit / im Venus Streit / drum frewt Euch janiglich /  
Frewt Euch / schickt Euch zum Streit / vñ krieget ritterlich  
Wie sichs gebühren wil: Ob euch dann wird gefallen  
Ein solcher newer Krieg / das werden wir erfahren /  
Beliebts der Cypria, nach drehen vierthel Jahr /  
Wann in der Wiegen wird ein junger Krieger lallen.

Ita ludere voluit.

AD MUSAS POLITUS.

C 3

Ut



**U**T jungam reliquis, Neonymphe precantia vota,  
Ad lint inceptis numina dextra tuis,  
Castis inceptis: Castam tibi namq; puellam  
Jungis, quæ vitæ sit medicina tuæ.  
Hæc velut eximijs fuit orta parentibus, illam  
Sic & habet splendens integritatis amor.  
Hæc facies, hæc virtute piâ supereminet omnes,  
Quas celebri patrium continet urbe solum.  
Hæc novit verbis, & læto pellere gestu  
Cordivoras curas, tristitiamq; gravem.  
Exultas ergo merito, Præceptor amande,  
Quod tibi tot veniat prædita virgo bonis.  
Jova sed ipse torum, quem casti scanditis, ornet;  
Et prole & multâ prosperitate beet.

Ita Præceptor meo gratulabat.

Tobias Sernovius Jütroboc: Saxo  
Gym: Suevo Colon: alumnus.

---

**M**iretur forsam quisquam tua fœdera læti,  
Et mirum factum Sponse novelle putet.  
Hospes quod Sponsus cum virgine & hospite Sponsa  
Fucundi t'halami jura sacra a subis:  
Hanc etenim tellus, Suedi quam flumina lambunt;  
Tetulit aſt Sponſum Patria Pannonia  
Longa procul longis via vos divis erat ambos  
Terris: monstrârunt aſt bona fata viam.  
Scilicet in terris qui singula numine torquet,  
Jungere qui multum disſita quæq; valet,

Iste



Iste tibi nostris faciam donavit in oris,  
Qua virtute nitet, qua pietate viget.  
Attulit his terris Et te, ut connubia serves.  
Sponsa, qua Sophia nomina digna meret.  
Hic ergo mirus miro thalamoq; favebit,  
Complebit vestros Et bonitate Lares,  
Ut sit multa salus vobis, Et pignora lecti  
Sint lecti, litis sit procul omne malum.

Honoris ac debitæ gratitudinis ergo  
hæc gratulabundus adjecit.

Hieronymus Ditmar,  
Pegav. Misn.

EPITHALAMION.

<b>Q</b> ua sit amoris.	Sponsa venusta.
Copula, quæris	Pura colore,
Casta jugalis?	Major honore,
Dulce malorum,	Maxima flore.
Ipsa levamen,	Fulgida more,
Namq; Marita:	Fervida amore,
Dia decore,	Sedulitatis,
Plena virore,	Pura pudore.
Rara nitore,	Virginitatis.
Mille marito	Vive beatus
Pharmaca præbet:	Sponse novelle,
Ergo canora	Vive beata.
Sponse beate	Sponsa novella,
Jubila sume,	Donec Olympus
Quod tibi venit	Concidat ardens.

Gottfridus Jüterbock, Sch: Col: Al:

Ad.





**A**dsuesti dudum scholicum portare capistrum,  
jam ferre adsuesces connubiale jugum.  
Parte utraq; facis rem gratam hominiq; Deoq;  
Et gratam Sponsa, Sponse novelle, tua.  
Qui scholici multa premeris jam mole laboris,  
siste maritali colla liganda jugo.  
Astringunt nexu sibi te Venus atq; Minerva:  
Esto toro fortis! non minor esto Schola!  
Sic te multiplici dotabit honore Minerva,  
atq; opulentaabit prole pudica Venus.

Da. Praeceptoris suo honorando  
ita gr.

Johannes-Adamus Romanus.

**E**xoritur lux laeta sacris celebranda Hymenæis,  
Ergo die hæc laeta plaudite Musa mea.  
Nam cum Kriegero sociavit virgo jugalem,  
Elisabeth thalamum digna viro eximio.  
Et novus ingreditur cum virgine templa Maritus  
Kriegerus vitâ, moribus, arte gravis.  
Sit lux fausta precor, divinus spiritus adsit,  
Christe fave tædis, conjugioq; novo.  
Necte q; connubium dilecto vinculo amoris,  
In quod nil rumor, nil mala lingua queat.  
Atq; fave Sponsis Deus, amborumq; calorem,  
Excitet æqualem numinis aura tui,  
Det Deus à vobis absit discordia lites;  
Concordes sitis, sit procul ira, dolor.  
Exulet & luctus, subeat concordia lectum  
Pax ædes intret candida, regnet amor.

Nulla



Nulla domos vestras unquam perturbet Erinny  
Angelus assistens arceat omne malum.  
Post annum & sitis completum prole beati,  
Nec sit egens prolis copula juncta piæ  
Eventura precor, reddet meliora petitis,  
Qui celsa cœli regnat in arce Deus.

*Elias Lockelius Col: Alumn: Sch:*

**M**iri creator quid faciat Deus,  
Demittat alto quid Deus ex polo,  
Lustra creantis mente mira  
Effigies domini sagaci.  
Stupenda facti namq; creatio,  
Et facta servat mirificè Deus,  
Miracula nullis mira defunt  
Rebus, & omnia fata mire  
Regunt. Sacrum te Pieridum decus  
Sic fata ab extris Pannonijs pia  
Duxere mirè, cura Divis  
Cura hominum generi fuisti  
Pectus Minervæ dives o artibus  
Quascunq; in oras fluminis inclyti  
Aqvas seqvendo puriores,  
Advena planta pedum tulisti.

D

Tan



Tandemq; vinclo conjugij sacro  
Tutam locasti Teutonio in agro  
Sedem. Camæna plectra plaudunt  
Ergo Hymenæe veni suavis.  
Cujus Minervæ fructifera ubera  
Suxi, tonent conaminis & mei  
Plectra, ô potesset nostra dignum  
Ingeminare melos Camæna!  
Quamquam facultas ingenij mei  
Negat, lubentes prompta tamen dabit  
Spero voluntas, Vota præter  
Ast mediter quid ego sacrata  
Tu Sponse vincas Mathusalæ dies  
Sic & Sybillæ Sponsa dies nova  
Curis carentes, & polorum  
Connubio, facilis sit hospes  
Vestris recedat Mars piter arcibus  
Sic alma vestris pax laribus, Deus  
Ornat poli rectum quot astris,  
Tot decorat thalamum gemellis

Auspici omnis, Faustæ congratulationis,  
debitæ observantiæ ergo

ponebat hæc

*Johannes Neuschütz Wist: March:  
Sch: Colon: Alumn:*

Fallos



**F**ALLORE! an in terris quicquam iucundius, aut quid  
Suavius invenies; fœdere conjugij.  
Rite petunt Juvenesq; Senesq; hæc fœdera lecti, ut  
Fugiter oblectent his sua corda datis.  
Exemplo presens docet hoc Neonymphus, amicam  
Exqvirens sociam, captus amore, sibi.  
O Neonymphe tibi talis jam ducitur uxor,  
Noxia quæ vitat, prospera quæq; gerit.  
Fœdere conjunxit qui vos, benedicat ab alto;  
Sit sine lite domus, non sine prole thorus.  
Hæc do, quæ possum, sincero pectore vota,  
Tu præsta votis, CHRISTE benigne, meis.

Martinus Laudanus, Grans.  
March. & Col. Alumnus.

**M**atrua conjungat charos concordia Sponfos,  
Atq; novo scateant pignora de thalamo.  
Id pretor: ex voto vobis id donet JESUS:  
Annue tu votis Christe benigne pijs.

Fabian Klinckebell / Spons. Fr.

**F**Atale sacri conjugij jugum:  
Quæ vis repellat fata rapacia?  
Tu fata vitabis! Cui vis  
Sponsa volente venit Jehovâ.  
Hujus benignis igne Puellulæ  
Torrere fatis, Gorgonei jugi

Ros

7. March:  
m:  
Fallo





Ros, ac Athenis fax, toriq;  
Foedera Sponsus amas jugalis.  
O Sponse praesens prospera fata sint,  
Nec Sponsa praesens aspera fata sint,  
Vobis, cor & mens una vobis  
Plurima sed soboles, ego opto.

Gabriel Wedigen.

**C**onjugij fatale jugum: quae fata repellat  
Vis? quae vis frangat ferrea fata DEI?  
Tu Flos Aonii prati praecuta retundes  
Fata! Venit cuius Sponsa volente Deo.  
Hujus item fatis torreris amore Puella  
Flammivomò, Et thalami foedera Sponsus amas.  
Prospera sint Sponso tibi fata, nec aspera Sponse,  
Mens vobis una, at pignora multa tori.

Stephani Trumbachij, Col. M.

**S**i qua dies albis unquam signanda lapillis,  
Et fuit in plausu si qua terenda dies:  
Illa dies certè niveis signanda lapillis,  
Et venit in plausu si qua terenda dies:  
Qua celebras laetos thalami foelicis honores  
Dante tibi cedant fata secunda Deo.

Erga suum Praeceptorem vigilantissimum in  
tesseram debita reverentia ergò fundebat

Sebastianus Wedigen/Col. M.

F I N I S.



Carmen Elegiacum quod scripsi Joanni Baptista Gebelio  
Svidnic. Silesio Pastori Ecclae in Raciborow.

cum praedum Magistrum nancisceret Decano  
M. Theodoro Berto 17 Calend. Maij  
A. 624. aetate meae 19.

Ita bonis avibus GEBELI, quos Deus Autor,  
Cui te fata vocant, ita bonis avibus.

Magnum opus adgrederis, sed, quod tibi cine fultus  
Numinis atberei, fortiter expedies.

Ambuet orantis linguam locuplete Suada,

**SPIRITUS** Orator caelicus ille, tuam.

Seminium disperge **DEI** per cordium agellos:

Nec sine mole preces, aut sine fruge, dato.

Et vineta **DEI** assiduo accubudq; labore

Percole, quo fructus mille, supraq; ferant:

**BAPTISTAM** ex cathedra **BAPTISTA** imitare tonantem

**GEBELI!** vera pro pietate puta:

Instrue non-doctos, errantes corrige, fractos

Erige, confuta dogmata vera minus.

Sic vivente volent tecum partizier annos

Prospera dicentes quos sacra dicta feres.

Sublatiq; olim manibus, sine pondere terram

Manibus optabunt, (sed bene sero) tuis,

Cum tuba te rupta tumba revocabit ab umbris,

**IOVA**, mei pastor dicet, adesto, gregis;

Ambrosia rursus te pascam & nectare; quare

Magna cape astrati praemia, carpe, poli.

Hoc penitis animi penetrabilibus opto, precorq;

**JANE** mihi multo n nomine care! **VACE.**

ULB Halle

3

002 062 674











72

Inches

Centimetres

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

TA NUPTIALIA  
perennivivo  
U I R I  
*acquisitoris doctrina &  
Laude Conspicui DN.*  
STIANI  
nnasij Svevo-Colon:  
ris solertissimi,  
ONSI:  
&  
*Pudicicia optimè dotata*  
ELISABETHÆ,  
dam Integerrimi  
lingebeils/ Negotiatoris  
olon. relictae filia.  
Prudentissimi & Spectatissimi  
pon Gerresheim/ Camera-  
Colon. & Civis Primarij  
æ, SPONSÆ,  
us, Collegis & Discipulis fausti  
ontexta & ad lectum ge.  
tem suspensa  
IS RUNGIANIS. An: 1638. 50

66